

authori, scripsit mediocri sermone quasi versus adversum paganos: & quia patrum nostrorum attigerat literas, magis illorum dogmata destruere potuit, quam nostra firmare. Unde & de divinis re-promissionibus adversum illos agens, vili satis & crasso, ut ita dixerim, sensu disseruit: illis stuporem, nobis desperationem incutiens. Tertullianum & Lactantium & Papiam authores secutus: moralem sanè doctrinam & maximè voluntariè paupertatis amorem, optimè profecutus, studentibus inculcavit.

## XVII.

**F**austinus Presbyter, scripsit ad personam Faciliae reginae adversum Arianos & Macedonianos libros septem: his eos maximè scripturarum testimoniiis arguens & convincens, quibus illi pravo sensu utuntur ad blasphemiam. Scripsit & librum quem Valentiniano, Theodosio & Arcadio imperatoribus pro defensione suorum, cum Marcelliano quodam Presbytero obtulit. Ex quo ostenditur Luciferiano schismati consensisse: quia Hilarium Pictaviensem, & Damasum urbis Romae Episcopum in eodem libro culpavit, quasi malè consuluerint Ecclesiae, quòd praevaricatores Episcopos, in communionem & sacerdotium, pacis recuperandae gratia, recepissent: quòd Luciferianis ita displicuit recipere Episcopos, qui in Ariminensi consilio Arianis communicaverant: ut Novatianis apostatas poenitentes.

## XVIII.

**R**uffinus Aquileiensis Ecclesiae Presbyter: non minima pars Ecclesiae doctorum: & in transferendo de Graeco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maximam partem Graecorum bibliothecae Latinis exhibuit. Basilii scilicet Caesariensis Cappadociae Episcopi. Gregorii Nazianzeni eloquentissimi hominis. Clementis Romani recognitionum libros. Eusebii Caesariensis Palaestinae Ecclesiasticam historiam. Xysti sententias. Evagrii sententias. Pamphili martyris adversum Mathematicos. Horum omnium quaecumque praemisissis prologis à Latinis leguntur, à Rufino interpretata sunt: quae autem sine prologo, ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit. Origenis autem non omnia, quia & Hieronymus transtulit aliquanta, quae suo prologo discernuntur. Proprio autem labore: imò gratiae Dei dono, exposuit idem Rufinus symbolum: ut in ejus comparatione alii non exposuisse credantur. Disseruit & benedictionem Jacob super Patriarchas, triplici, id est, historico, morali, & mystico sensu. Scripsit Epistolas, ad timorem Dei hortatorias, multas: inter quas praeminent illae quas ad Probam dedit. Historiae etiam Ecclesiasticae, quam ab Eusebio conscriptam, & ab isto diximus interpretatam, addidit decimum & undecimum librum. Sed & obrectatori opusculorum suorum respondit duobus voluminibus, arguens & convincens se Dei intuitu & Ecclesiae utilitate, auxiliante Domino, ingenium agitavisse: illum verò aemulationis stimulo incitatum, ad obloquium stylum vertisse.

## XIX.

**T**ichonius natione Afer, in divinis literis eruditus: juxta historiam sufficienter, & in saecularibus non ignarus fuit: in Ecclesiasticis quoque negotiis studiosus: scripsit de bello intestino libros,

& expositiones diversarum causarum: in quibus ob suorum defensionem, antiquarum meminit synodorum: è quibus omnibus agnoscitur Donatiana partis fuisse. Composuit & regulas ad investigandam & inveniendam intelligentiam scripturarum, octo: quas uno volumine conclusit. Exposuit & Apocalypsim Joannis ex integro: nihil in ea carnale, sed totum intelligens spiritale. In qua expositione dixit, angelicam stationem corpus esse: mille annorum quoque regni in terra justorum post resurrectionem futuri suspensionem intulit. Neque duas in carne mortuorum resurrectiones futuras: unam justorum, aliam injustorum: sed unam & semel omnium, in qua resurgent abortivi etiam deformati, ne quid humani generis deformatum & animatum sustantia intereat. Ostendit distinctionem sanè duarum resurrectionum: ita facit, ut primam quam justorum Apocalypsim dicit, credamus modo in Ecclesiae incremento agi: ubi justificati per fidem, à morticinis peccatorum suorum per baptismum ad vitae aeternae stipendium suscitantur. Secundam vero generaliter omnis hominum carnis. Floruit hic aetate qua ante memoratus Rufinus, Theodosio & filiis ejus regnantibus.

## XX.

**S**everus Presbyter, cognomento Sulpicius, Aquitanicae provinciae: vir genere & literis nobilis: & paupertatis atque humilitatis amore conspicuus: charus etiam sanctorum virorum Martini Turonensis Episcopi & Paulini Nolanis: scripsit non contemnenda opuscula. Nam Epistolas, ad amorem Dei & contemptum mundi exhortatorias, scripsit sorori suae multas: quae & notae sunt: scripsit & ad supra dictum Paulinum Nolanum duas, & ad alios alias. Sed quia in aliquibus etiam familiaris necessitas inserta est, non digeruntur. Composuit & chronica. Scripsit & ad multorum profectum, vitam beati Martini Monachi & Episcopi, signis & prodigiis ac virtutibus illustris viri: & collationem Posthumiani & Galli, se mediante & judice de conversatione Monachorum Orientalium, & ipsius Martini, habitam in dialogi specie, duabus incisionibus comprehendit: in quarum priorè refert suo tempore apud Alexandrinam synodum Episcoporum decretum, Origenem & cautius à sapientibus pro bonis legendum: & à minus capacibus pro malis repudiandum. Hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit: ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.

## XXI.

**A**ntiochus Episcopus scripsit adversum avaritiam unum & longum volumen: & de curatione caeci, qui à Salvatore illuminatus est, homiliam composuit, compunctione timoris Dei & humilitate plenam. Moritur Arcadii imperatoris tempore.

## XXII.

**S**everianus Gabalensis Ecclesiae Episcopus: in divinis Scripturis eruditus: & in homiliis declamator admirabilis fuit: unde & frequenter ab Episcopo Joanne & Arcadio imperatore ad faciendum sermonem Constantinopolim vocabatur. Legi ejus expositionem in Epistolam ad Galatas, & de baptismo

&amp;

& Theophaniae solemnitate libellum gratissimum. Moritur juniore Theodosio imperante.

## XXIII.

**N**iceas Romanae civitatis Episcopus, composuit simplici & nitido sermone sex competentibus baptismum instructionis libellos: in quibus Primus continet, qualiter se debeant agere competentes, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire. Secundus, de gentilitatis erroribus: in quo judicat suo pene tempore Melchidium quendam patrem familias, ob liberalitatem: & Gadarium rusticum, ob fortitudinem, esse inter Deos relatos. Tertius liber, de fide unica majestatis. Quartus, adversum gene theleogiam. Quintus, de symbolo. Sextus de agni paschalis victima. Dedit ad lapsam virginem libellum, omnibus labentibus emendationis incentivum.

## XXIV.

**O**limpus, natione Hispanus Episcopus, scripsit librum fidei adversum eos, qui naturam & non arbitrium in culpam vocant: ostendens non creatione, sed inobedientia insertum naturae malum.

## XXV.

**B**accarius vir Philosophiae Christianae nudus & expeditus, vacare Deo disponens, etiam peregrinationem pro conservanda proposita integritate elegit. Edidisse dicitur grata opuscula: sed & ego ex illis unum tantum de fide librum legi: in quo satisfacit pontifici urbis adversum querulos & infamatores peregrinationis suae: indicans se non timore hominum, sed Dei causa peregrinationem suscepisse: ut exiens de terra sua & cognatione sua, cohaerens fieret Abrahae Patriarchae.

## XXVI.

**S**abbatius Gallicanae provinciae Episcopus, rogatus a quadam casta & Christo dicata virgine, Secunda nomine, composuit librum de fide adversum Marcionem, & Valentinianum ejus autorem, & adversum Eunomium & ejus magistrum Aetium: ostendens & ratione scripturarum & testimoniiis, unum esse deitatis principium, ipsumque esse & suae deitatis & aeternitatis autorem, & mundi ex nihilo conditorem: simul & de Christo, quòd non in phantasia homo apparuerit: sed veram habuerit carnem, per quam manducando, bibendo, lassando, plorando, patiando, moriendo, resurgendo, verus probatus sit homo. His enim sententiis Marcion & Valentinianus contrarii extiterunt: asserentes duo deitatis principia & Christum venisse in phantasia. Aetio vero & Eunomio discipulo, ostendit patrem & filium, non duarum esse naturarum & divinitate parium: sed unius essentiae: & alterum ex altero, id est ex patre filium, alterum alteri coaeternum: cui credulitati Aetius & Eunomius contradicunt.

## XXVII.

**I**saac scripsit de sancta Trinitate, & de incarnatione Domini librum obscurissimae disputationis & involuti sermonis: confirmans ita in una deitate tres esse personas, ut tamen sit in singulis proprium aliquid quod non habeat alia. Patrem scilicet hoc habere proprium, quòd ipse sine origine, origo sit

Tom. V.

aliorum. Filium hoc habere proprium, quòd genitus genitori non sit posterior. Spiritum sanctum hoc habere proprium, quòd nec factus sit, nec genitus, & tamen sit ex altero. De incarnatione vero Domini ita scribit, ut manentibus in ea duabus naturis, una credatur filii Dei persona.

## XXVIII.

**U**rstinus Monachus, scripsit adversum eos qui rebaptizandos haereticos decernunt: docens nec legitimum, nec Deo dignum, rebaptizari illos qui in nomine simpliciter Christi, vel in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quamvis pravo sensu baptizentur, sed post sanctae Trinitatis & Christi simplicem confessionem, sufficere ad salutem manus impositionem catholici sacerdotis.

## XXIX.

**M**acarius alius Monachus, scripsit in urbe Romana adversum mathematicos librum: in quo labore, Orientalium quaesivit solatia scripturarum.

## XXX.

**H**eliodorus alius Antiochenus Presbyter, edidit de virginitate egregium, & sanctis Scripturis instructum volumen.

## XXXI.

**J**oannes Hierosolymorum Episcopus, scripsit in obrectatores studii sui librum: in quo ostendit se Origenis ingenium, non fidem secutum.

## XXXII.

**P**aulus Episcopus, scripsit de poenitentia libellum, in quo dat legem poenitentibus, ita debere dolere pro peccatis, ne supra mensuram tristitiae, immensitate desperationis mergantur.

## XXXIII.

**H**elvidius Auxentii discipulus, Symmachi imitator: scripsit religionis quidem librum studio, sed non secundum scientiam, neque sermone, neque ratione nitidum: cujus operis ita sanctarum scripturarum sensus ad suam perversitatem flectere conatus est, ut earum testimoniis asserere voluerit sanctam Mariam post nativitatem Domini, quem virgo peperit, Joseph sponso suo junctam: & ex ejus consortio filios suscepisse: qui fratres Domini appellati sunt: cujus pravitatem arguens Hieronymus, libellum documentis scripturarum sufficienter factum, adversum eum edidit.

## XXXIV.

**T**heophilus Alexandrinae civitatis Episcopus: scripsit adversum Origenem, unum & grande volumen: in quo omnia pene ejus dicta, & ipsum pariter damnat: ac simul edocens, non à se eum primum, sed ab antiquis patribus & maximè Heracla fuisse, & à presbyterio ejectum, & de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum. Sed & adversum Anthropomorphitas haereticos, qui dicunt Deum humana figura & membris constare, disputatione longissima confutans, & divinarum Scripturarum testimoniis arguens & convincens eos, ostendit Deum incorruptibilem & incorporeum, juxta patrum fidem

C

credendum: neque ullis membrorum lineamentis omnino compositum: & ob id nihil ei in creaturis simile per substantiam, nec cuiquam incorruptibilitatem, aut immutabilitatem, aut incorporaliter suam dedisse naturam, sed esse omnes intellectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles, omnes mutabiles: ut ille solus corruptibilitati & mutabilitati non subjaceat, qui solus habet immortalitatem. Paschalem etiam recursum, quod magna apud Niceam synodus, post nonaginta & quinque annos, agi tempore & die & luna secundum statum suum invenerat: additis quibusdam ipsius festivitatis rationibus & expositionibus, Theodosio principi obtulit. Legi & tres de fide libros sub nomine ejus titulos: sed quia lingua inconsonans est, non valde credidi.

XXXV.

**E**usebius scripsit de crucis Domini mysterio, & Apostolorum, præcipueque Petri constantiam virtute crucis, fidei virtute adeptam.

XXXVI.

**V**igilantius Presbyter, natione Gallus, in Hispania Barcionensis parochiæ Ecclesiam tenuit: scripsit & ipse zelo quidem religionis aliqua seductus humana laude, & præsumens supra vires suas, homo lingua politus, non sensu scripturarum exercitatus, exposuit pravo ingenio secundam Danielis visionem, & alia locutus est frivola, quæ in Catalogo hæreticorum necessario exponentur.

XXXVII.

**S**implicianus Episcopus, multis Epistolis hortatus est Augustinum, adhuc Presbyter, agitare ingenium, & expositionibus scripturarum vacare: ut etiam novus quidam Ambrosius Origenis prædicationis videretur. Unde & multas ad ejus personam scripturarum quæstiones absolvit. Est ejus Epistola propositio, in qua interrogando quasi disciturus doctrinam docet.

XXXVIII.

**V**igilius Episcopus, scripsit ad quendam Simplicianum in laudem martyrum libellum, & Epistolam continentem gesta sui temporis apud Barbaros martyrum.

XXXIX.

**A**ugustinus Afer, Hipponensis oppidi Episcopus, vir eruditione divina & humana orbi clarus, fide integer, & vita purus: scripsit quanta nec inveniri possunt. Quis ergo gloriatur omnia se illius habere: aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit? Unde & multa loquenti accidit quod dixit per Salomonem Spiritus sanctus: Ex multiloquio non effugies peccatum. Edidit tamen senex, quod juvenis coeperat, de Trinitate libros duodecim. In quibus (ut scriptura ait) introductus in cubiculum regis: & decoratus veste multifaria, sapientia Dei exhibuit Ecclesiam sine macula, aut ruga, aut aliquid ejusmodi. De incarnatione quoque Domini idoneam edidit pietatem. De resurrectione mortuorum, etiam simili cucurrit sinceritate: licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Error tamen illius

sermone multo, ut superius dixi contractus, lucra hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit.

XL.

**O**rosius Presbyter, Hispani generis, vir eloquens & historiarum cognitor: scripsit adversum querulos Christiani nominis, qui dicunt defectum Romanæ reipublice. Christi doctrina invecum, libros septem: in quibus totius penè mundi temporis calamitates & miseriae, ac bellorum inquietudines replicans, ostendit magis Christianæ observantiæ esse, quod contra meritum suum res Romana adhuc duraret, & pace culturæ Dei pacatum retineret imperium. Sanè in primo libro descripsit positionem orbis Oceani interfusione, & Tanai limitibus intercisi: situm locorum, nomina & numerum, moresque gentium, qualitates regionum, initia bellorum, & tyrannidis exordia, finitimorum sanguine dedicata. Hic est Orosius, qui ab Augustino pro discenda animæ ratione ad Hieronymum missus, rediens reliquias beati Stephani primi martyris, tunc nuper inventas: primus intulit Occidenti. Claruit extremo penè Honorii tempore.

XLI.

**M**aximus Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, vir in divinis Scripturis satis intentus, & ad docendam ex tempore plebem sufficiens, composuit in laudem Apostolorum tractatus: & in Joannis Baptistæ: & generalem omnium martyrum homiliam. Sed & de capitulis Evangeliorum, & Actuum Apostolorum multa sapienter exposuit. Fecit & duos de sancti Eusebii Vercellensis Episcopi & Confessoris vita tractatus: & de sancti Cypriani specialem. De baptisimi gratia librum edidit. Scripsit de avaritia: de hospitalitate: de defectu lunæ: de eleemosynis: de eo quod scriptum est in Isaia: Cauponés tui miscent vino aquam: de passione Domini: de jejunio servorum Dei generali, de jejunio speciali quadragesimæ, & quod non sit in eo jocandum: de Juda traditore: de cruce Domini: de sepulchro ejus: de resurrectione ipsius: de accusato & judicato Domino apud Pilatum: de Calendis Januariis. Scripsit etiam homilias de natali Domini: homilias de theophania: & de Pascha: & de Pentecoste multas: de hostibus carnalibus non timendis: de gratiis post cibum Deo agendis: de poenitentia Ninivitarum: & multas alias ejus homilias de diversis legi, quæ nec retineo. Moritur Honorio & Theodosio juniore regnantibus.

XLII.

**P**etronius Bononiensis Italiæ Ecclesiæ Episcopus: vir sanctitate vitæ & Monachorum studiis ab adolescentia exercitatus: scripsisse putatur vitas patrum Ægypti monachorum, quas velut speculum ac normam professionis suæ, monachi amplectuntur. Legi sub ejus nomine de ordinatione Episcopi, ratione & humilitate plenum tractatum: quem lingua elegantior ostendit non ipse esse: sed ut quidam dicunt patris ejus Petronii eloquentissimi & eruditissimi in sæcularibus literis viri: & credendum. Nam præfectum prætorio se fuisse in ipso tractatu designat. Moritur Theodosio Arcadii filio, & Valentiniano regnantibus.

XLIII.

**P**elagius Hæresiarches, antequam proderetur hæreticus, scripsit studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libros: & pro actuali conversatione Eulogiarum ex divinis Scripturis librum unum: capitulorum indicium in modum sancti Cypriani martyris præsignatum. Postquam hæreticus publicatus est, scripsit hæresi suæ faventia.

XLIV.

**I**nnoctius urbis Romæ Episcopus, scripsit decretum Occidentalium & Orientalium Ecclesiarum adversum Pelagianos datum, quod postea successor ejus Zosimus latius promulgavit.

XLV.

**C**elestinus antequam ad Pelagium concurreret, imò adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio Epistolas in modum libellorum tres, omni Deum desideranti necessarias. Moralis siquidem in eis dicitio: nihil ibi vitii postmodum proditi: sed totum ad virtutis incitamentum tenuit.

XLVI.

**J**ulianus Episcopus Capuanus, vir acer ingenio, in divinis Scripturis doctus, Græca & Latina lingua scholasticus. Prius ergo quam impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in doctoribus Ecclesiæ fuit: postea verò hæresim Pelagii defendere nisus, scripsit adversum Augustinum impugnatores illius, libros quatuor: & iterum libros octo. Est & liber altercationis amorum, partes suas defendentium. Hic Julianus eleemosynis tempore famis & angustiae indigentibus, omnibus suis prorogatis, multos miserationis specie nobilium præcipue religiosorum illiciens, hæresi suæ sociavit. Moritur Valentiniano Constantii filio imperante.

XLVII.

**L**ucianus Presbyter vir sanctus, cui revelavit Deus temporibus Honorii & Theodosii Augustorum, locum sepulchri & reliquiarum corporis sancti Stephani, martyris primi: scripsit ipsam revelationem ad omnium Ecclesiarum personas Græco sermone.

XLVIII.

**A**vitus Presbyter, homo Hispanus genere: antè relatum Luciani Presbyteri scripturam transtulit in Latinum sermonem: & adjecta Epistola sua, per Orosium Presbyterum Occidentalibus dedit.

XLIX.

**P**aulinus Nolæ Campaniæ Episcopus, composuit versus brevia, sed multa: & ad Celsum quandam epitaphii vice consolatorium libellum, super morte Christiani & baptizati infantis, spe Christiana munitum: & ad Severum plures Epistolas: ad Theodosium imperatorem ante episcopatum profa panegyricum super victoria tyrannorum: eo maxime quod fide & oratione plusquam armis vicerit. Fecit & sacramentarium & hymnarium. Ad sororem quoque Epistolas multas de contemptu mundi dedit.

Tom. V.

& de diversis causis, disputatione diversa tractatus edidit. Præcipuus tamen omnium opusculorum ejus, est liber de poenitentia, & de laude generali omnium martyrum. Claruit temporibus Honorii & Valentiniani: non solum eruditione & sanctitate vitæ, sed & potentia adversum demones.

L.

**E**utropius Presbyter, scripsit ad duas sorores ancillas Christi, quæ ob devotionem pudicitiae & amorem religionis ex hæredatæ sunt à parentibus, Epistolas in modum libellorum consolatorias, elegantis & aperto sermone duas: non solum ratione, sed etiam & testimoniis scripturarum munitas.

LI.

**E**vagrius alter scripsit altercationem Simonis Judæi & Theophili Christiani: quæ penè omnibus nota est.

LII.

**V**igilius diaconus, composuit ex traditione patrum, monachorum regulam: quæ in cœnobio ad profectum fratrum in conventu legitur breviate & aperto sermone: totius monasticæ professionis in se tenentem disciplinam.

LIII.

**A**ttilius Constantinopolitanus Episcopus, scripsit ad reginas Arcadii imperatoris filias de fide & virginitate librum valde egregium: in quo perversum Nestorianum dogma impugnat.

LIV.

**N**estorius hæresiarches, cum in Antiochena Ecclesia Presbyter insignis in docendo ex tempore declamator haberetur: composuit infinitos tractatus diversarum *ὑποθέσεων*. In quibus jam tunc subtili nequitia infudit postea proditæ impietatis venena: quæ moralis interdum occultabat suadela. Postquam verò eloquentia & abstinentia commendante, Constantinopolitanæ Ecclesiæ pontificatu donatus est, apertum se Ecclesiæ hostem quem diu celabat ostendens, scripsit librum quasi de incarnatione Domini sexaginta & duobus divinæ scripturæ testimoniis, pravo sensu suo constructum: in quo quid affereraverit, in Catalogo hæreticorum monstrabitur.

LV.

**X**ystus urbis Romæ Episcopus, decretum synodi adversum supradictum Nestorium habitum volumine describens, ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedit: confirmans duabus in Christo manentibus perfectè naturis, unam Filii Dei credendam esse personam. Huic enim sententiæ superscriptus Nestorius ostensus est esse contrarius. Similiter etiam Xystus successor Celestini, pro eadem re, & ad ipsum Nestorium, & ad Orientis Episcopos adversus errorem ejus succidendum sententias direxit.

LVI.

**T**heodorus Ancyranus, Galatiæ Episcopus, scripsit adversus Nestorium adhuc Ephesi positus, librum redargutionis & confutationis: dialecti-

C ij